

CASTALIONIS


EPVLVM



EPVLVM
A CLEMENTE VIII.
PONT. OPT. MAX.
PAUPERIBVS APPOSITVM,

A IOSEPHO CASTALIONE
Jurisconsulto, & Cive Romano versibus conscriptum.

AD PETRVM ALDOBRANDINVM
CARDINALEM.



R O M Æ, *Apud Aloysium Zannettum.*
M. D. X C V I.

Cum Licentia, & Superiorum Permissu.

REVISED

REVISED

REVISED

REVISED

REVISED


REVISED

REVISED

REVISED



REVISED



PETRO ALDOBRANDINO

C A R D I N A L I .

IOSEPHVS CASTALIO S. P. D.



Vamquam non ignoro Clementē Octa-
uum Pont. Max. eo esse ingenio, vt lau-
danda facere, quam laudari malit; ta-
men continere me non potui, quin
oblatam occasionem vltro arriperem,
&, quae a viris clarissimis summopere commēdari sen-
tirem, ea litterarum monumentis pro ingenij mei te-
nuitate mandarem. Estō, pudore impediatur sapien-
tissimus Princeps, quo minus laudes suas agnoscat, ijs
succenseat, a quibus in os laudatur, gloriam denique
contemnat. quid rum? non enim ob id continuo sequi-
tur, vt à rebus ab eo praeclare gestis conscribendis in-
genia prorsus deterreantur. Nam, si quem summis in
caelum laudibus per vicos, & fora in familiarium con-
gressibus extollere nobis licet, qui fieri potest, vt ve-
ras eiusdem laudes, aut versibus complecti, aut soluta
oratione persequi nequeamus? Quod si quis dicat, im-
pudentem, contumacemque esse eum, ac periculose
facere, qui Principis sui iudicio nolit stare, respondeo,
videndum esse, numquid excipiatur. ac sane sic statuo,

eos demum a laudationibus scribendis summoueri, qui adulatione ab optimo, ac prudentissimo Principe gratiam inire se arbitrantur, qui ne coram quidem, & apud eum, qui cum loquuntur, inani praedicatione abstinendum putant. Is enim est Clemens, in quem Horatianum illud vere dici potest:

Cui malè si palpere recalcitrat vndique tutus.

Quare, si qui sunt, qui sine assentatione modestè, ac verecunde stilum temperent, eaq. in primis scribenda eligant, quae in vulgus edita, atque ad exterarum nationes perlata non paruo ad pietatem excolendam adiumento esse possunt, ij mihi nō inuito Principe scriptio- nem aggredi posse videntur. Hanc ego rationem secutus, carmen de Cena, quam Clemens Octauus extra ordinē pauperibus quinta feria Hebdomadis maioris apposuit, paucis diebus concinnaui. Qua in re illud fortasse minus recte a me factum videri poterit, quod tantum argumentum nequaquam pro dignitate tractauerim, tantum abest, vt vel in gratiā nonnulla sim mentitus, vel supra fidem quidquam extulerim. Non enim quemquam esse arbitror adeo rerum imperitum, & poeticæ amoenitatis ignarum, vt Angelorum, Daemonumque contraria hoc in opusculo studia ficta cū sint, reliqua quōque mera esse mendacia contendat. Hoc enim poeticum plane commentum est ad rem, qua de agitur, ornandam accommodatum. Hoc a Graecis Latinisque summa cum laude factitatum est, neque fides ob eam rem scriptis abrogata est. Silius quidem
Italicus

Italicus bellum Punicum secundum, vt a Polybio, Titoque Liuiio scriptum est, in optimum poema conformauit, historiam religiosè tractauit, ornamenta poetarum tantum addidit, eaq. in re mortalibus pietatem, & religionem, licet inanem, & superstitiosam, inseruit suam, cum omnia ad Deos retulisset. Quod nobis omni ratione faciendum est, qui certo certius scimus datos esse unicuique nostrū Angelos custodes, qui nobis praesto sint, consulant, & aduersus Daemonum fraudes suggestionesq. opem ferant. Quod si in priuatis hominibus vsu venire, id credimus, quid in eo dicendum est, quem Ecclesiae Catholicae Caput agnoscimus, & reueremur? Equidem tantā esse in Sanctissimo Patre, ac Domino nostro Clemente virtutum omnium lumina video, vt vniuerso terrarum orbi sit exemplo. Id autem sine Diuino auxilio fieri non posse, nemo non videt. Itaque, Spiritu sancto auctore, ac Michael Archangelo adiutore, Beatissimum Pōtificem optima quaeque consilia capere fatendum est. Habes, Cardinalis amplissime, facti mei rationem, quam Tibi, bonisq. omnibus probatam iri confido. Vtinam rerum maiestati par ingenium afferre potuissem. Ac vereor, ne temporis angustia, & rebus aduersis, quibus diu, Diuina volente prouidentia, ad profectum fortasse meum, afflictor, factum sit, vt Epulum hoc, a me versibus conscriptum, non satis lautum esse videatur. Certe, quidquid est, à sincero, & minime fucato profectum est animo, Tibi, in primis addicto. Etenim Te, quem semel mihi patronum delegi, omni officio, ac pietate perpetuo con-


stantif-

stantissime colam , atque obseruabo , efficiamque in dies, Deo beneuolente, vt obseruantiae in Te meae cum plura , tum maiora exstent argumenta . Nam & optimarum artium studium , humanitas , prudentia , iustitia, & pietas Tua eo iam peruenit, vt admirationi natu grandioribus sis , summamq. apud omnes auctoritatem Tibi compares, istumq. celsissimi honoris, & potentiae gradum Tuarum virtutum splendore exornes. Quamobrem , cum tanta dignationis Tuae accessione, crescat quoque officium oportet meum . Vale, saeculi nostri decus .

Romae Kal. Iulij.

M. D. XCVI.





E P V L V M

A CLEMENTE VIII.

PONT. OPT. MAX.

PAUPERIBVS APPOSITVM,

A IOSEPHO CASTALIONE

Jurifconsulto, & Cive Romano versibus conscriptum.

AD PETRVM ALDOBRANDINVM

CARDINALEM.



*Ospita Clementis gestit conuiuia noster,
Vt datur, exiguis animus percurrere char-
tis.*

*Petre, licet magnis distentum publica
curis*

*Munia Pierijs nolint dare cantibus aures,
Summarum posito paullisper pondere rerum
Secessus mecum Aomios insistere gratos,
Vcraque per numeros praeconia noscere nostros
Ne fuge, si stimulus accendit gloria pectus*

Vera

*Vera tuum, sequeris Patruum si passibus aequis
Sidereas omni sedes virtute petentem.*

*Quintæ recurrebant dominae sollempnia Cenae
Clementi peragenda pic, quam sanguine lautam
Reddidit, et proprio cumulavit corpore, saeva
Pro genere humano subiturus funera Christus.
Multa Pater tacito per noctem pectore voluens
Facta Redemptoris relegebat singula nostri,
Ut Deus in terras nos propter venerit astris
Factus homo, tulerit nec iniqua mente labores
Immensos, spinis traiectus tempora acutis,
Adque necem caesus, taetrae ludibria genti
Soluerit, inq. crucem vita decesserit actus,
Atque hominum proprio delicta cruore piarit.
Omnia dum versat, dum rerum fertur amore
Tantarum, haec linguam lacrymans in verba resolvit:
O qui nunc nobis celo delapsus ab alto
Adsit, & ostendat, quid gratum moliar, & quid
Christe tibi acceptum, quod nostra omiserit ante
Cura, nec ad placitum procurrerit obuia munus.
Talia dicenti, lacrymis atque ora riganti
Signifer in medijs Michael consistere visus
Aedibus, & tales effundere pectore voces:
Humanae custos gentis, cui claudere olympum,
Et referare datum, pietas spectata tot annis
Demeruit tibi terrarum, caelique potentem.
Hospitijs sed nunc solitis adiungere siquid
Est amor, & plantas inopum lauisse, nouaq.
Veste ipsos cinxisse, tibi haud satis esse videtur,
Accipe,*

Accipe, quae studio tibi sunt praestanda fideli
 Crastina lux nonam cum primum adduxerit horam,
 Mendicae ad mensam turbae considerare iussae.
 Appones epulas humilis, laticemq. minister
 Miscebis bromium; & vili famulabere plebi.
 Dixit, & in tenues euanuit ilicet auras.
 At Pater ut mundo tenebras aurora fugauit,
 Dat mandata suis, exultansq. ordine pandit,
 Quid fieri placeat, quid res & postulet ipsa.
 Haec ubi persensit, qui humana explorat ubique
 Consilia, & viru respergit iuridus anguis
 Cuncta suo, infernis exciuit ab usque cauernis
 Infandos quondam stellis in nigra rebelles
 Tartara demersos, quibus idem ardorq. dolorq.
 Arduus hos inter micat ore, & sibila mittit
 Horrenda, atq. alis nigrantia pectora plangit.
 En ait, en tumido metuenda superbia fastu
 Concidet, atque humilis gladio matrona recidet
 Olli ceruices, & nostrae cornua fronti.
 Ite agite, ac mecum coeptis obsistite tantis.
 Deserat. fremuere omnes, sinuosaq. raptim
 Agmina contorquent, & fraudibus omnia versant.
 Luctificam aggreditur sic ocyus ille podagram
 (Namque sui pectus famuli permiserat omni
 Vexandum ratione Deus, quo clarior iret
 Victori ex pugna, & superato ex hoste triumphus)
 Morborum Regina, lues, terrorq. potentum.
 Otia quid degis? quid nunc ingloria cessas?
 Nec noua te caeli facies, aut aura Fauoni

Sedibus extrudunt caecis . nunc frigore pulso
 Arboribus redeunt frondes , & gramina campis ,
 Nunc tumet e grauido distillans palmite gemma ,
 Nunc auis in celsis ponit sua limina ramo ,
 Haec pecus in furias , atq. ignem concitat hora .
 Iam caput in nostrum Romanus fulmina Princeps
 Molitur . male nos defendent obijce magno
 Terrarum loca sulphureis horrentia flammis .
 I bona Taenarias ac tutum ulciscere turmas .
 Contemptor nostri Clemens vim sentiat imis
 Ossibus , immanem per saucia membra receptam .
 Vre pedes , artusq. auido depascere morsu .
 Ne quid obire queat , neu dicto munere fungi ,
 Inniti ve solo , sed stratis incubet aeger .
 Dixerat inq. vicem sic suscipit improba , non ut
 Rere volens iaceo tenebris adoperta , situq.
 Per superas errare auras hoc tempore ductor .
 Me vetat Aligerum Clypeoq. insignis , & hasta .
 Ille reluctantem nimium , nimiumq. morantem .
 Admota Stygias detrusit cuspide ad umbras .
 Verum , quandoquidem tantum mea pectora dictis
 Acribus exacuis , rursus referemur in oras
 Luminis , atq. operam dabimus tibi : protinus ambo
 Proripiunt se se , summoq. in limine sistunt .
 Ille suos adit ad socios , atq. agmina iungit ,
 Ne tiens mille dolos , petit haec funestius omnes
 Clementis nodos , turbaratq. omnia , ni tum
 Et vento Michael , & fulminis ocyor alis
 Afferret exclamans , cur o , cur limen ad istud

Te recipis monstrum infelix . absiste verendis
Postibus, ac poenis hominum si perfida gaudes,
Hos tibi vexandos in primis delige tortrix,
Qui nimio indulgent luxu, marcentq. veterno,
Quiq. notis scelerum multorum grandibus ardent.
Impius ante alios poenas tibi soluat amaras.
Clementem labor immensus terit omnibus horis.
Legibus emendat mores, Urbemq. tuctur,
Atq. laboranti nunquam non consulit orbi.
Commisso inter se odijs populosq. ducesq.
Vertere composito contendit foedere in hostem.
Nec non quid ratio, priuataq. commoda poscant,
Cogitat, & placida ciuiles aure querelas
Haurit, & ingentes tollit moderamine lites.
Praemiaq. & iustum meritis persoluit honorem.
Sacra facit, precibusq. Deum, votisq. fatigat.
Lux abici haec inter . pars noctis maxima saepe
Ducitur insomnis per mille negotia Patri.
Talibus increpitans cunctantem umbone repellit.
At Pater in templum praesenti numine fultus
Ingreditur, libatq. Deo Mystera sacra,
Deductumq. polo corpus veneratur Iesu,
Et celebri elatum pompa deponit in aede
Innumeris circum lychnis, auroq. micante,
Annua concelebrans domini monumenta sepulti:
Prosequitur scelera hinc diris Ultricibus, atque
Infuso late populo ter fausta precatur.
Inde coruscantem cultu digressus in aulam,
Munus obire parat, quod rerum praestitit auctor

In terris , pergrata suis exempla relinquens .
 Bissenî venere homines paupercula turba .
 Quos bonus intacto Clemens velarat amictu .
 Confedere omnes moniti , pedibusq; reiectis
 Obsequia expectant sacro spectante Senatu .
 Linteolo accingit se se , lymphasq; tepentes
 Cernuus inferri labris Pater imperat aureis .
 Hic verò Daemon furijs exarserat atris ,
 Irrita quod caderent prorsus quaecumq; vel ipse ,
 Vel sociae dudum tentassent arte cohortes ,
 Pauperis aggreditur specie , simulatq; pudorem .
 Tu ne mihi , aut vlli vestigia laueris umquam ,
 Cui cadit ante pedes populus , cui maximus ordo
 Assurgit Procerum , Romanaq; Curia paret .
 Per me maiestas minuatur tanta , cauebo .
 Si morem seruare iuuat , seruetur honore
 Principis incolumi . neq; enim descendere ad ista
 Fas tibi , cui rerum commissa potentia Clemens .
 Obsequia haec puero mandentur sordida vili .
 Talibus obsiruètas verbis Pater obtulit aures ,
 Haud aliter motus , Boreae quam turbine rupes
 Icta , minas venti rapidas immota retundit .
 Iamq; opus absoluit coeptum ; pedibusq; sedentum
 Admouet acclinis permixtas floribus vndas ,
 Cruraq; tum bibulo siccat rorantia lino .
 Dumq; apicis summa inslectit fastigia , riuos
 Multorum ex oculis manantes elicit vdis .
 Caelicolum celebrata choris , & numine sancto
 Tartareus fugit indignans spectacula tortor ,

Nec

*Nec tolerare diu potis est, quae pedtus adasto
 Transfodiunt telo rabidum, praebentq. dolorem.
 Qualis praecipiti consuetum nocte ciere
 Auroram cantu gallum plaudentibus alis
 Contra stare Leo Libycus nequit, inq. tueri,
 Sed nimio terrore horrens dat terga repente.
 Interea magno curant obsonia sumptu,
 Et captos coemunt tyrrheno in litore pisces,
 Quosq. lacus omnes, atq. vndiq. flumina mittunt.
 Amplior ingenti lucet focus igne, penusq.
 Instruitur, cellisq. liquentia vina feruntur.
 Vndiq. iam coeunt penetralia in alta vocati
 Squalentes inopum coetus. hunc montibus vmbriis,
 Illum Picenis ingens extruserat agris
 Relligionis amor, nec Tuscus defuit hospes.
 Venerat & mento Calaber, canoq. capillo,
 Nudis qui pedibus supplex. & paupere cultu
 Hadriaci longas emensus litoris oras
 Viserat ingentem Laureti in moenibus aedem.
 Gallia, & Oceanus complures misit Hiberus,
 Sarmata, Pannoniusq. aderant. pars atria magna,
 Pars libyca excisas miratur rupe columnas,
 Parietibus stupet hic pictis, & marmore multo,
 Hos capiunt aulaea magis, pretiosaq. vestis,
 Aurea suspendunt oculos laquearia plures.
 Sed simul in tectis Clemens apparuit altis,
 Incipiunt domino iam cuncta minor a videri.
 Summissi genibus positis, ac vertice aperto,
 Suspiciunt omnes taciti, & venerantur euntem.*

Ille

Ille manum crucis in speciem diducit, & ore
 Cenuias hilari recipit consurgere iussos.
 Viribus in carmen mihi nunc maioribus usus;
 Nunc mihi, nunc oprem cum linguis ferrea centum
 Ora, nec ad tantam sperem contendere laudem.
 Plebi epulum dederit Caesar, discumbere secum
 Iusserit innumeros spatiosa per atria ciues.
 Accipiat mensis Clemens & semper egentes,
 Hoc tamen, hoc omnes, seq. ipsum munere vicit.
 Namq. Pater, Reges cui scepra superba potentes
 Summittunt vltro, cui seruit Romula tellus,
 Quo nihil in terris maius Sol spectat ab axe,
 Lintea praetendens gremio seruilia magno,
 Seruitio accingit se se, mirabile visu.
 Attoniti nouitate omnes trepidare, vereri,
 Sanctis aduolui pedibus, veniamq. precari,
 Hoc magis in furias taetri ruit incola Auerni,
 Fit Clitius longo Clementi cognitus usu,
 Ac sic efficto rursus sermone profatur:
 Maxima iam requiem suadet pars abta dizi
 Per tot sancte tibi genitor, tantosq. labores.
 Iam functi sacris Proceres per tecta domorum
 Stratis assidunt mensis, & corpora curant.
 Tu tibi nec parcis, nec te mouet vlla senectae
 Cura tuae. Iam nec decoris meminisse videris.
 Quid struis? hoc etiam solio, quod restat, inures
 Supremo crimen, iam tanto Principe dignam
 Personam tuare, proculq. abiecta faceffant.
 Dixerat incassum, scopulis nam surdior ipsis

Malluium

Malluium ille tenens laeua, dextraq. nitenti
Vrceobum ex auro sordentes eluit vnda
Hospitibus digitos, & blando discutit omnem
Ore metum, talesq. emittit ad aethera voces:
Rerum opifex, rectorq. Deus, nos respice, daq.
Sumere pace tua, quaecumq. apponimus ipsi
Orta tibi hominum per te terraq. mariq.
Hinc iubet ingentem mensis considerare turbam.
Mille licet famuli sint praesto, ac iussa capeffant,
Ipse tamen structasq. dapes, & pocula cunctis
Diuidit, atq. astans iucunda voce sedentes
Alloquitur, monet vt posito congesta pudore
Fercula suscipiant, reuocentq. in corpora vires.
Ter quater instaurans epulas conuiuia pernix
Circuit, & mensis adiungit dona secundis.
Conuiuiae ad nutum miscet, seu Massica quiuis
Poscat, seu cenis laudata Falorna vetustis.
Matronam extollunt humilem ceruicibus altis
Aligeri, & clara Reginam voce salutant,
Laetantesq. nouis mulcent concentibus auras.
Persoluit meritas huic victa superbia pœnas.
Laurea vitrici praebetur fronde perenni,
Erigiturq. noua mansurum laude trophaeum.
Territa diffugiunt immania monstra baratri,
Et domitam secum rapiunt in tartara pestem.
Non hic Demodocus fidibus, non bella, ducesq.
Pheuius, aut rerum causas cantauit Iopas.
Nec concors aures symphonia deliniuit.
Sed tulit in medium se se de fratribus vnus,

Quos

Quos alit, hirsutoq. tegit patientia panno
 Caelicolae circum Francisci claustra frequentes.
 Is tristes animis curas euellere iussus,
 Quae bona pauperiem comitentur, quaeq. benigno
 Praecipua aeterni contingant munere Regis
 Commoda Pauperibus facundo differit ore.
 Tum demum monet, ut tenues sua gaudia norint,
 Inijciens cunctis vitae caelestis amorem.
 At vero, quibus ad mensam dat pocula Clemens,
 Vescuntur laeti, & medijs potare videntur
 Sideribus, capiunt vix gaudia pectore tanta,
 Vixq. sibi credunt ipsi, vix cernere se se
 Vera putant, veluti cum quis de plebe talentum
 Inuenit, aut si cui rerum insperata voluptas
 Obtigit, & subito affulsit lux laeta secundis.
 Talia per placidam mortales saepe quietem
 Eludunt, & spe miseros frustrantur inani.
 Luminibus quidam madidis sua vota tuentur,
 Et secum reputant, quam caeli incensus amore
 Abijciat se se, cui rerum summa potestas.
 Nec non & Calabro miranti, ac multa roganti
 Bis denos Licinus versatus in Vrbe per annos
 Pauper & ipse (manu vitam tolerauerat, aetas
 Dum melior vixit, nunc longo debilis aeuo,
 Liminia subsidium quaerens aliena pererrat)
 Retulit haec. O si dentur mihi tempora fandi
 Commoda, te rerum perfundier hospes amore
 Magnarum insolito sentires. aspice quem se
 Exhibeat nobis Clemens, & cetera eodem

Metiri modulo poteris . molissima vestis
 Illius ad speciem corpus tegit . intus at horrens
 Terribili textum seta depascitur artus .
 Ante diem quoties paucis comitatus amicis
 Saxa per , & sentes posuit vestigia nuda ,
 Tempa petens supplex . longo distantia tractu ?
 Ipse Patrem vidi , sacra cum loca viseret Urbis ,
 Aegroti ad tenuis gressum vertisse cubile .
 Oreq . sollicitam admoto morientis ad aurem
 Auxilio iuuisse animam in discrimine summo
 Versantem , & precibus duxisse ad regna beatum .
 His dictis Licinus dum iungere plura pararet ,
 Functi epulis reliqui surgunt , gratesq . Parenti
 Aetherio peragunt , pedibus mox oscula sanctis
 Clementi figunt , caros dimittit amicos
 Optimus haud paruo donatos munere Princeps .
 Hoc etiam ventura olim mirabitur aetas ,
 Nostraq . in exemplum bona saecula nepotibus ibunt .
 Iamq . aliquis Getico positus sub sidere dicit :
 O fortunatos , mensas quibus arbiter Orbis
 Apparat , & Clemens porrecta fronte ministrat :
 Laurea de domito sic fastu quaeritur , & sic
 Tollitur in summum , qui se demittit , Olympum .
 Adde quod obscura sub imagine pauperis ipse
 Excipitur Christus tali , coliturq . paratu .


Quis tua carminibus Clemens extollere dignis
 Facta queat ? capit ingenium decora inclyta nullum .
 Sed quoniam , ut caeli virtus in vertice sistet
 Te tua , sic terras tantarum gloria rerum

Incolet, ac pietas quid pascat, saecula docebit
 Postera, quis vetat ingenij contendere nervos
 Nos quoq. perq. tuas vestigia ponere laudes?
 Forsitan (accedat nobis modo prona voluntas
 Haec tua) maiori sulcabitur aequora puppe,
 Nostraq. daphnea cingentur tempora fronde.
 Interea tibi deuotae ne despice mentis.
 Pignora parua, Pater, iam dudum debita factis
 Magne tuis. vtinam tantis ad sidera ductus
 Exemplis humili conscendere pectore possim
 Iussus abire solo breuis haec post tempora lucis.

Tu vero, praesens rerum tutela, decusq.
 Romulidum, Patruo iuuenis dignissime tanto,
 Caelestes tibi iam per facta domestica ad arces
 Pandis iter, magnoq. legis vestigia pressa
 Clementi, similis quaerens pietate coronam,
 Felix, a prima licuit cui parte iuuentae
 Ardua perpetuae sperare cacumina famae.
 Sint tibi, sint Patruo Cumacae tempora vitae,
 Vt domus vna diu terrarum fulciat orbem,
 Et valeat suus egregijs honor artibus esse.
 Caelicolae sobolem clari seruate, genusq.
 Siluestri innocuum, quo nil consultius vquam
 Iuris in Hesperijs, aut iustius exstitit oris.
 Aldobrandinum innumeros pia Roma per annos
 Suspiciat iubar, & tanto splendore nitescat.

FINIS.

ANTO-



ANTONII QVAERENGI.



*Vid mirare inopum vili conuiuia turbae
 Principis insueto structa ministerio?
 Illuuijs taetra haec miserorum, & squal-
 lor egentum
 Phoebaeum supera vincit in arce iubar.*

*Vincit, & aeternis raro cum diuite mensis
 Accumbens larga vescitur Ambrosia.
 Felices inopes, quos arbiter Orbis vterque
 Alternum meritos poscit in hospitium.
 Tu quoq. Piero felix, qui nectare tanti
 Accumulas epuli munera Castalio.*






ANDREAE SCHOTTI
Societatis Iesu Sacerdotis.



*Iuvis ritu mensis operatus auito
Clemens sacrorum antistes, summusque
Sacerdos,
Insula cui triplici diademate tempora cin-
git,*

*E triuijs inopes, mediaque ex Vrbe vocatos
Excipit hospitio. plantas lauat, oscula figit.
Accumbunt laeti, mox fercula lauta ministrat
Ipse Pater, qui Christiadum regit omnia nutu
Sceptra suo, claudens qui tartara pandit Olympum.
Felices animae, quibus his accumbere mensis
Sorte datum, atq. epulae, & felicia pocula amoris?*

*Te quoq. felicem, vates, cui tempora circum
Laurus ijt, te Castalides docuere sorores,
Fallor, an hinc nomen tibi Castalis haesit amicum;
Quare age qui tristes hac tempestate Camoenas
Respicias almae Parens, cui tellus paret, & aether,
Perge diu meritis crescentem ornare poetam.
Ille tuba incipiet grandi tua dicere facta,
Digna legi, magnumq. feret super aethera nomen.*



A D

CLEMENTEM VIII.

PONT. OPT. MAX.

IVLII CAPILVPI EPIG.




*Anctē Pater, quamuis Rex summi aeternus
Olympi*

*Tot rerum dederit pondera ferre tibi,
Claudere & infernas sedes, atq. aurea
caeli*

*Limina, & alternas claue aperire fores,
Et regere imperio populos, sacrumq. Senatum,
Et summos Reges, magnanimosq. duces:
Non tamen elatus supremos inter honores,
Sed Clemens inopum pascis in Vrbe gregem,
Nec modo pauperibus das laetus dona, vocatis
Verum etiam ad mensas ipse minister ades:
Te Dominum gentes cunctis venerantur in oris;
Sed tua te Pietas sidera ad alta vehit.*





R O M A E,
Apud Aloysium Zannettum. M. D. XCVI.

SE-2
214170
K 50

HE GERTY CENTER
LIBRARY

